

**www.e-rara.ch**

**Georgii Buchanani Scoti poetae eximii Franciscanus & fratres, quibus  
accessere varia eiusdem & aliorum poëmata quorum & titulos & nomina  
XVI. indicabit pagina**

**Buchanan, George**

**Basileae Rauracorum, [1568]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-245>

Clariss. doctissimique viri, Mich. Hospitalis, magni Galliae cancellarii, variorum poëmatum silva

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CLARIS. DOCTIS-  
SIMI' QVE VIRI, MICH.

*Hospitalis, magni Gallie Can-  
cellarij, variorum pœ-  
matum Silua.*

EX ALLVSIONVM  
ipſius libro.

Hospitio profugas hac tempeſtate Camænas  
Excipis, hoſpitiſus nec ſua iura negas.  
HOSPITA—LIS gemina nō hinc mihi voce ſed  
Exulat hoſpitio LIS mala nanq; tuo (vna es,  
Hoſpitij ceſſere tibi pro munere Muſæ  
Nomen & hinc Xenij iure parentis habes.

ALIUD IN ILLVD MICH.  
Hoſp. elogium

IMPAVIDVM FERIENT RVINAE.  
Ad Ioan. Morellum Ebred.

Tota licet vaſti labefiat machina mundi,  
Inq; ſuum redeant cuncta elementa chaos;  
Neſcius in varias Lopitalius ire figuras,  
Impavidus, ſolidæ rupis & inſtar erit.

Ó—ΒΙΟΣ βροτῶν θεοῖο  
ἀτρε οὐθὲν ἀμειρόβιο.

Carol. Vtenhouius, Car. F.

## MICH. HOSPITA-

*lis magni Galliae Cancellarij, vario-  
rum poëmatum Silua.*

DE SACRA FRANCISCI  
II. Galliarum Regis initiatione, regniq;  
ipsius administrandi prou-  
dentia, Sermo.



Celesti est oleo Mariæ puer vnctus ad  
aram  
Virginis. hoc felix vt sit faustumq; pre-  
camur,

Tithoni longos superet vel Nestoris annos:  
Talibus interea discat regnare magistris,  
Qualeis non alios Regum prior extulit ætas:  
Nec quondam puero delegit mater Achilli.  
Discat difficilem longè plus omnibus artem,  
Antiquos vt amet regere & defendere fineis  
Imperij: dominis quæ sunt aliena relinquat.  
Illum vicini Reges venerentur, vt alto  
Sanctum aliquod terris demissum numen Olympo,  
Illius externi cupiant componere liteis  
Arbitrio populi, cupiant discedere bello.  
Nec tam fortis amet dici quàm iustus, & armis  
Parta per humanas fugiat cognomina cædeis.  
Oseruet promissa, fidemq; immobilis hosti:

Ee      Nec

*Nec pacem in bello, neq; bellum in pace requirat.*

*Aut quid discipulos Christi nos esse fatemur,*

*Si nulla in nobis expressa illius imago est:*

*Haud minor in patriam pietas, ciueisq; tuendos*

*Cura sit: vt patrium bonus illis præstet amorem.*

*Tardus, & ad pœnam dubijs, idem acer apertis*

*Criminibus vindex, rigidus legumq; minister.*

*Nec res iudicio finitasq; ordine liteis*

*Rescindat: nec supplicio pœnaûe nocentèis*

*Damnatosq; leuet, legum nec vincula soluat.*

*Sive magistratus, sacrorum siue legendi*

*Pontifices, secum ipse diu multumq; requirat*

*Ecquis apud ciueis tanto sit dignus honore:*

*Nec precibus, precioûe locum det, equisûe citatis,*

*More sed antiquo, lecti proscribat apertè*

*Pontificis nomen vel iudicis. audiat omneis*

*Quorumcunq; hominum voces & dicta. morando*

*Consilium melius capiet, neq; serò pigebit*

*Agnouisse malum re deniq; turpiter acta.*

*Quos non fallit enim Reges inscitia rerum?*

*Aut quænam vitare dolos prudentia possit,*

*Vni quum plures ficti insidiantur amici?*

*Nam quandoq; dies veniet metuenda futuri*

*Iudicij: quam nemo diem Rex, siue Senator,*

*Siue Magistratus fugiet: poscetur ab ipso*

*Principe, non tantùm rerum quas gesserit ipse*

*Subtilis ratio: verùm & quas gesserit olim*

*Improbis aut iudex, aut praua mente sacerdos,*

*Aut*

Aut alij, quibus est delata à Rege potestas.  
 Ille miser pœnas alieni criminis, imò  
 Exoluet proprij, qui non prouiderit antè  
 Quos, quibus immeritos viuens mandaret honores:  
 Quosue minus dignos sacris præponeret aris.

Nec mihi dignus erit diuina humanaq; iura  
 Qui didicit, si non idem coniunxerit æqui  
 Atq; boni studium, si non pietatis amorem:  
 Et nisi pauperibus faueat, locupletibus æquè,  
 Et nisi templorum redditus largitur egenis.  
 Quò mihi nobilitas, quò vana scientia rerum,  
 Si pietas aberit sacris, à iudice virtus:  
 Si venalis erit prætor: si fonte lauamur,  
 Vngimur: & terra depenso condimur auro?  
 Ex his nulla igitur reditura pecunia rebus  
 Regali fisco, reditura est nulla ministris.

Nec tamen ille suos, nec quos respublica nummos  
 Suppeditat, demens alios conuertet in vsus.  
 Nec dabit indignis, nebulonibus, aut parasitis,  
 Sed bonus vt tutor, qui se rationibus olim  
 Cogitat adstrictum, summa pietate fideq;  
 Rem geret, atq; noui rescabit inania luxus  
 Instrumenta: modum veterem patriumq; reducet  
 Vestibus, & mensis. sic vectigalia porro  
 Quæ vis præteriti suasitq; iniuria belli,  
 Par erit atq; decens immensa remittere plebi:  
 Contentum paruo paucis nam rebus egère  
 Conuenit. vlla tamen rodat ne bestia fiscos,

Neue Palatinus forex, aut blatta, videbit.

Scilicet hæc pridem toto sædissima regno  
 Inualuit pestis; viresq; & robora pascit  
 Imperij, vix quarta redit vel tertia Regi  
 Pars canonis, nimum multi regalibus vncas  
 Admouere manus loculis. reuocandus in arctum  
 Ille ingens numerus, frænanda licentia furum.  
 Quò magis id fiat, neue hæc scelerata propago  
 Patronos habeat defensoresq; nefandi  
 Criminis: hoc mihi sæpe monendum & sæpius, omnes  
 Abstineant donis, præsertim quiq; futuris  
 Iudicij præerunt, & quorum est summa potestas.  
 Tam firmū nihil est, tã clausum, aut deniq; sanctum,  
 Quod non expugnet vis auri: nec minus est fur  
 Qui prædæ partem capit, ac qui surripit ipse.

Tu furem excusas Regi corruptus ab illo,  
 Restituisq; loco damnatum, turpiter vnde  
 Exciderat, quid agis? nempe hoc, furetur vt antè.  
 Quid, præter veniam, censes quum præmia furi  
 Danda velut merito? pudor est, pudor, addere plura,  
 Ergo paucorum fidei mandabitur arca  
 Publica, nam valde est custodia lubrica nummi.  
 Ipsi custodes custodis egère videntur.

At fiscos augere malis rationibus vllis  
 Ne cupiat, fictiq; suos ne criminis vnquam  
 Insimulet, iustoue rei nec sine peracti  
 Ne bona liberto properet donare potenti.  
 Sæpe bonus minimeq; nocens sectoris auari

Opprimitur studijs: & crimine concidit vno,  
 Quòd pulchras ædes, vel opimum possidet agrum.  
 Ne mimis etiam vel delatoribus aurem  
 Præbeat, iniusto uè sinat succumbere quenquam  
 Iudicio, ne pro compertis atq; probatis  
 Accipiat, quæ vox inimica vel æmula finxit.  
 Turpe quidem miseros vita spoliare, bonisq;  
 Turpius at recti specie, falsisq; latenter  
 Testibus appositis, & iudice non satis æquo.  
 Condemnat cupidè nimis illum Prætor iniquus,  
 Cui putat iratum Regem, vel Regis amicos.  
 Quò grauius peccant patulis qui crimina Reges  
 Auribus accipiunt, quæ de quocunq; feruntur:  
 Præsertim inuisum vel detestabile crimen  
 Cum fortè arguitur reus admisisse: velut si  
 Maiestas populi vel Regis læsa putetur,  
 Intendit parteis animum quæsitòr in omneis:  
 Ipsa fidem, simul est audita calumnia, fecit.  
 Occidit infelix intra ipsa exordia, nullo  
 Sæpe suo merito: sceleris vel temporis ardens  
 Inuidia potius, neq; post adiuuerit illum  
 Commonstrare dolos, fictumq; ostendere crimen.  
 Prima semel defixa animis hæsere, nec vnquam  
 Stultitiam volet ille suam quicunq; fateri,  
 Credulus & præceps: sed prima tuebitur vsq;  
 Et semel offensum constans offendere perget.  
 Quærendum fuerat, quis sit delator, & in quem  
 Dicat, quo uè animo, prior eius vita reine

Absentis melior: nam qui bonus antè fuisset,  
 Ausum immane nefas subito, vix credere par est.  
 Si tamen vrgetur res suspicione, vocandus  
 Est reus, obiecto coràm vt se crimine purget.  
 Horrebit vultum falsus delator, & ipso  
 Aspectu confusus erit, dignamq; subibit  
 Pro scelere immani tanto sub iudice pœnam.

At delatorum genus vtile, sœua nocentum  
 Ne Regem lateant peccata, bonosq; malosq;  
 Vt quamuis absens faciliè interno scere possit.  
 Est ita: dum norint sibi non impune futurum,  
 Si quid in auriculam mendax effundere lingua  
 Ausa fuit. tua me bis, Carole, dextra saluum  
 Præstitit à rabidi ferali dente leonis:  
 Nec metuum diras vnquam te vindice linguas.  
 Atq; vtinam quàm se præclara est vltus Apelles  
 Insignis tabula, tam nostro carmine possim  
 Expressere hoc quàm sit tetrum exitialeq; monstrum  
 Regibus & populis: quantas det sæpe ruinas.  
 Ostendam planè quibus orta calumnia surgit  
 Principijs: vt auariciam toruumq; tuentem  
 Inuidiam comites secum trahat, vt mala blandis  
 Insinuet dictis & blando carmina vultu.  
 Regem autem stupidum, buccisq; fluentibus ore  
 Distorto, sæda facie, rudentis aselli  
 Auriculis, quocunq; vocauerit illa, sequentem.  
 Ipsius ante fores delator & ostia circum  
 Excubat obseruans, vt verus nequis amicus

Ingrediens somno stertentem suscitet alto:  
 Et faciat, tenebris amotis, cernere verum.  
 Sic perit ille miser fictis ignarus & absens  
 Criminibus, quoniam purgandi oblata potestas  
 Nulla sui, vel Rege aliud curante, vel istum,  
 Ut magnum longumq; nimis, fugiente laborem.  
 Fac non nolle, tamen studijs illius honestis  
 Obstabunt, alijq; moras & tempora neccent:  
 Prætermissa semel referet se occasio nunquam.

At noster faciles aditus venientibus vltro  
 Præbebit populis, oblatos ipse libellos  
 Accipiet manibus, lacrymosas ipse querelas  
 Audiet, & responsa dabit poscentibus ipse.  
 Quàm iucunda, putas, facies est regia civi  
 Et quàm grata suo? tanti nihil esse videtur.  
 Nunquam, dura licet, grauis illius ore repulsa est.  
 Annuit: hoc quodcunq; etiam debemus ipsi.  
 Respuit: audiuit prius is tamen, inde negauit.  
 Atq; ita nemo ferè tristis discedit ab illo.

Et patrum fama est ætate fuisse, iuberent  
 Qui mollem Reges & inertem ducere vitam,  
 Nil agere, & leuibus traducere tempora nugis:  
 Nullum congressu, nullum sermone petentem  
 Dignari, celso tenues contemnere vultu:  
 Abijcere imperij curam, nullamq; suarum  
 Luce voluptatum, nullam intermittere nocte:  
 Is fructus regni tanquam si maximus esset.  
 Tales Assyrij Reges, Franciq; suère

Tota Palatinis dum rerum cura magistris  
 Cesserat: hæc illis regni socordia finem  
 Attulit: his animos contra ius fasq; rebelles.  
 Quare nec fidum potes hunc, nec Regis amantem  
 Dicere qui celsos vsurpat Regis honores,  
 Abrogat imperium domino. Capitale nefasq;  
 Est Persis habitum, solio sedisse tyranni.  
 Tu solus regnes, solus domineris in aula,  
 Nil adeò Regi præter diadema relinquas,  
 Et nudos regni titulos, & nomen inane?  
 Quid non ambitio, quid non mortalibus auri  
 Suadet auara fames? moderata potentia quanto  
 Iustior est, & quàm magis expers ipsa pericli?  
 Ne sit Rex igitur vel iners, vel mollis, & otî  
 Atq; voluptatum cæno demersus in alto.  
 Regem nanq; volo, non fucum inducere regnis.  
 Nec sibi plus sumant comites, quàm legibus æquum,  
 Quàm mos & ratio, quàm Rex concesserit illis.  
 Nec verò ludis Reges prohibemus honestis,  
 Venatuq; pilaq;, virilibus in super armis:  
 Idq; adeò si fortè vacabit, & omnibus antè  
 Defuncti curis fuerint, operumq; soluti.  
 At si continuo pergunt assuescere ludis,  
 Pòst ægrè redeunt & tardi ad seria, quum res  
 Exigit: idcirco pueri iuuenesq; docendi  
 Ante annos atq; ante diem supponere duro  
 Colla iugo, ne ferre laborem fortè recusent  
 Insolitum, grauior quum pòst accesserit ætas.

Anglus Aquitano Francos eiecerat agro,  
 Et desperatis iam rebus Poto redibat,  
 Hirrus & insignes armorum laudibus ambo.  
 Atq; vt dura nimis belli fortuna ferebat,  
 Tectum ingens mœsti subeunt, Regemq; salutant.  
 Ille choros media ridens agitabat in aula,  
 Permissus niueo candentibus ore puellis:  
 Et procul vt vidit, Scitene (exclamat) amici,  
 Exercere pedes videor? Cui Poto vel Hirrus,  
 Tristia ducentes suspiria pectore ab imo:  
 Næ tu inter ludos choreasq; sepultus amore  
 Fœmineo, perdis pulchrum hoc & nobile regnum.  
 At non incassum iuuenes ea dicta dedere.

Nam subito memorant ex illo tempore Regem  
 Mutatum, & positis conuersum ad seria ludis.

Seruandi studium gregis, armentiq; fidelis  
 Pastor habet: cuiusq; rei sua cura magistris.  
 Ars etiam quædam dominari in bruta putatur.  
 Quam si turpe, malumq; viris aggressibus artem  
 Negligere, aut nescire etiam: quam turpius, istos  
 Qui præsunt hominum generi, non illa tenere,  
 Nec curare, quibus homines populiq; reguntur?

Rex igitur primis noster iam discat ab annis,  
 Quæ tanto imperio dignum se reddere possint.  
 Et quanquam fidis comitatum semper amicis  
 Esse velim, nihil & moliri insigne, vel altum,  
 Nil operæ precium, consultis non prius illis:  
 Non tamen vsq; suis diffidet viribus, vt non

Audeat ipse aliquid per se, vt non antè remotis  
 Omnibus in tacito se consulat ipse recessu,  
 Quid Regem deceat, quid honestum, aut vtile factuz:  
 Quam rem suscipiat, quibus explicet inde ministris:  
 Vt caueat vitetq; dolos, & praua suorum  
 Consilia, vt monitis addat melioribus aurem.  
 Quinetiam admissus semel imprudentibus error  
 Multorum erudijt menteis: vitæq; sequentis  
 Dux bonus & sapiens est Regibus, atq; magister:  
 Hoc faciens lapsus sum turpiter: hic mihi stulto  
 Verba dedit: posthac nobis erit ille cauendus:  
 Hunc mihi delegi rectè cui credere possim.

Sic medium teneat, neq; se plus plus diligat æquo  
 Elatus blandis hominum sermonibus, Aula  
 Quos habet innumeros: neq; sese negligat ipsum.  
 Sed grauis vt censor voces & verba loquentum  
 Expendet: fictis veros distinguet amicos.

Atque vtinam centum generici proroget annos,  
 Proroget vxori, atque amitæ Deus: & tibi fratres  
 Longa duos præstet venturi temporis ætas  
 Incolumes, ortos Lotari sanguine fratres.  
 Hūc q; senē profugū, modò qui reuocatus in Aulam est,  
 Vnde per inuidiam pulsus decesserat olim.  
 Non pia, non & fida tibi. Rex maxime, deerunt  
 Consilia his viuis, Res (si vacat) aspice cœptas  
 Aspice prima tui quæ sint fundamina regni,  
 Maiorum nemo posuit meliora tuorum.  
 Non tamen idcirco tibi palpum obtrude, vel illis:

Nam quid sola potest hominum prudentia? verum,  
 Principium tibi sit, bone Rex, & norma regendi  
 Imperij, assiduus timor & reuerentia sancti  
 Numinis: hæc præeat tanquam fax semper eunti.  
 Nanque homines, quamuis præclara mente fideq;  
 Multa vel ignari peccant, vel non inhonestis  
 Impulsi studijs, aliquâve cupidine, multa  
 Mille modis alijs etiam sine fraude: pariq;  
 Inuoluunt errore animos & pectora Regum.

Non ita cælestes animæ, quibus omnia semper  
 Cognita sunt penitus rerum quæcunq; geruntur.  
 Nec fallit quenquam Deus, & neque fallitur ipse.  
 Hic tua cæca reget tenebris vestigia noctis,  
 Luce reget media: nemo duce labitur illo.  
 Cuius nempe vicem quando geris, & tua nulli  
 Magnorum cedit collata potentia Regum,  
 Omnia dicta (quoad poteris) tuâq; omnia facta  
 Assimilare Deo, debesq; accepta referre.

Et quoniam (veteres vt dicunt) maximus idemq;  
 Optimus est, talem quoque te præstare memento.  
 Nos autem, qui visum vlli notumq; negamus  
 Esse Deum, tamen & qualis sit patria virtus,  
 Maiestas & quanta Dei genitoris, ab ipso  
 Conijcimus nato: qui se mortalibus olim  
 Miscuit: & pariter vixit, mox deinde reuixit.  
 Quem viuum quisquis vidit, putet ille parentem  
 Se vidisse: fuit nam vera ipsius imago  
 Filius in terris, noscendi hæc vna parentis

Præterea

Præterea via nulla, sed ille per æthera purum  
 Iam pridem elapsus, celso confedit Olympo.  
 Atqui multa sui nobis monumenta reliquit  
 Ingenij, morum, veræ pietatis: ab illo  
 Tradita perfectæ manauit formula vitæ.

Ille Deum quo sit cultu, qua mente colendus,  
 Qua prece conueniat placari, & quàm bene grata  
 Ipsius ante aram cordis cadat hostia nostri,  
 Edocuit, verum templisque indixit honorem.  
 Omnibus hunc animi neruis, & pectore toto  
 Diligere, atque aliud nihil æquè iussit amare,  
 Qui cœlum & stellas, & totum condidit orbem:  
 Nos genuit, pascit genitos, alit, educat almo  
 Vbere: parcit eis, meritò quos perdere possit.  
 Et quis enim nostrum peccat non omnibus horis  
 Supplicio condigna graui? tamen omnia tentat  
 Ille prius, sæuum iaciat quàm nubibus ignem:  
 Dátque locum veniæ, quoties se surrigit antè  
 Lapsus homo, & vita mutat meliore priorem.  
 Qualis amor domini, talem nos inter amorem  
 Reddere & auxilio miseros opibúsq; iuuare  
 Præcipimur, nullam reminisci temporis iram  
 Præteriti, nullam ad Solem perferre cadentem:  
 Et faciles vltroque aliorum ignoscere culpæ.  
 Hoc nos priuati, quibus est cognatio nulla  
 Cum Superis, facimus: quo Reges æquius omneis  
 Dijs genitos facere, & cœlo se reddere dignos.

Tu verò cui summa Deo delata potestas,

Quiq;

Quiq; etiam præstas alijs tam Regibus vnus,  
 Quàm Reges alios plebi præstare videmus,  
 Tu bonus & clemens esto similisq; Deorum,  
 Qui coelos habitant. propria est clementia Regum.  
 Tu mâlis seruare tuos, quàm perdere, ciuicis:  
 Et quam olim veniam expectas à Rege Deorum,  
 Impertire alijs hominum Rex. vtere parcè,  
 Aut nunquam, horribili gladio, nisi pene coactus  
 In desperatos, medicorum more, secantum  
 Arida quæ modò sunt, & putrida corpore membra.  
 Est quiddam medium, nec laus quærenda seueri,  
 Supplicijs hominum, nec laus clementis & æqui,  
 Est venia passim tribuenda, & dissoluendis  
 Legibus. Exemplum non longè extraq; petetur  
 Lenis mansuetiq; animi. fer lumina retrò.  
 Vel genitore tuo, vel auo clementius vnquam  
 Nil sumus experti. facilis vel promptus ad iram  
 Neuter erat. iecur & placabile pectus vtrique.  
 At genitrice tua que scæmina mitior vlla est  
 Omnibus in terris? quæ quum excandescere nuper  
 Iure videretur cæso potuisse marito,  
 Non solùm non vltia suos est illa dolores,  
 Sponte sed ignouit, suaq; ijs permisit habere,  
 À quibus atroces animis exceperat ictus.  
 Ignouère suis obrectatoribus ipsi,  
 Quorum consilio stat adhuc res Gallica, Fratres.  
 Multa noui quæ ferre solent exordia regni  
 Damna, fugas, raptusq; bonorum, vincula, cædes,

Nec

Nec sumus à quoquam passi, neque Principe nostro  
Sensimus: inuersus sonitum vix reddidit Axis.

Ergo sis, Francisce, tuis & mitis & æquus  
Ciuibus: ac mandata Dei cultumq; perennem  
Iam meditare puer, curam meditare tuorum.  
Nanque hæc prima tuæ virtutis semina surgent  
Paulatim, pariterq; tuo cum corpore crescent,  
Et super alta suos extendent sydera ramos.  
Tunc neque nos puero sub Rege fuisse pigebit,  
Nec te discipulum taleis habuisse magistros  
Imperij, & iuuenem laudes æquasse parentum.

AD FRANCISCVM OLIVARIUM  
Franciæ Cancellarium.

**V**obiscum Remos vnà comes ire parabam,  
Quum me Patronus fisci reuocauit in urbem  
Auditum Italicas rationes, vtq; præessem  
Iudicio, quod erat de furtis atque rapinis  
Regis opum: nolens opera imperfecta reliqui.  
Quid facerem: medio rationum examine Burgus  
Quæstor in Aruernos properè discedere iussus.  
Nil contra absentem nobis decernere visum est.  
Altera Beloti dilata est quæstio morbo.  
Is rem quæsierat princeps, causamq; tenebat  
Implicitam multis ambagibus atq; latebris.  
Longum, cognitionem alij mandare, fuisset:

Nunc equidem sine febre, parùm sed corpore firmo est.  
 Sic fuit hæc mea vana, reiq; industria nulli  
 Vtilis: & tanto carui tamen orbus amico.  
 Nam facturus eram Remos iter hoc ego tecum.  
 Tecum perpetuò (via quàm longinqua) fuiffem.  
 At Lotarenum validi iuuenesq; sequentur:  
 Non ego, quem tardum & segnem facit ægra senectus.  
 Ille fugit, comitesq; suos præteruolat omneis.  
 Ipse procul sequor: ad mensam tamen vsq; paratam  
 Mature venio. quid enim: fortasse periculum est  
 Ut calidus sudansq; bibam. qui verterat antè  
 Nos aliquis, nec fronte magis tamen ille benigna  
 Excipitur, nec sede magis dignatur honesta.  
 Interdum & pateram feruens contingere plenam  
 Non audet, stomachi veritus, laterisq; dolorem:  
 Et me iam saturo demum incipit esse placentam.  
 Sic neque dura pigris, neq; sunt incommoda tardis  
 Omnia. Sed doleo diuulsum me sine caussa  
 Conuictu Franciscæ tuo: nec deinde superba  
 Remorum vidisse foro spectacula, pompam  
 Sacrorum longam, missa & Ciboria cælo:  
 Aureolum puerum (curam sobolemq; Deorum)  
 Sole magis nitido radiantem, Heroas & illi  
 Bissenos, duodena latus velut astra, tegenteis:  
 Regem ipsum nudis humeris, & pectore nudo,  
 Remigij successoris genua ante volutum  
 Suppliciter, cui multa Sacerdos ritè precatus  
 Sacro nuda oleo perfundit membra, grauemq;

Imponis

Imponit capiti gemmis auroq; coronam.  
 Insequitur plaususque virum, clangorq; tubarum.  
 Ingens letitia tectum circunsonat omnes  
 Franciscum, Regem simul vna voce salutant.  
 Hec ego nec vidi, posthac neq; spero videre.  
 Ut sint læta diu precor, ut felicia longo  
 Tempore, neve vlllo turbentur gaudia luctu.

At vos rumor erat celsum procedere Barrum  
 Vsque, nec Octobris redituros ante Calendas.  
 Certum est interea paulisper ( dum licet ) uti  
 Libertate mihi concessa: & visere nostro  
 Stampensi fuerit vindemia qualis in agro.  
 Ut me vel referam Germani ad nobile fanum,  
 Parisiam vel (eò si sorte recurritis) urbem.  
 Aut vbi fors blandus pulchro dat nomina vico,  
 Aut Blesis, aliòve loco me denique sistam.  
 Quòd si me nostri rationem poscitis otì,  
 Nil præter nugas, & carmina vana feretis.

AD FRANCISCVM LOTAR-  
 ringum Guisiorum Princi-  
 pem, Epistola.

**A** Ut tu rem nobis conuulso cardine lapsam  
 Vnus restitues, primaq; in sede locabis:  
 Aut certè nullis vnquam fortuna resurget  
 Gallica temporibus: sed humi despecta iacebit  
 Aeternum. Manet illa, manet te lauria, ductor  
 Maxime Francorum. Quis enim se comparet alter?

Qu' em

Quemue ducem potius Rex tanto opponeret hosti:  
 Illius expulso nuper genitore triumphum  
 Egisti: pulso veniet par gloria nato.

Est illud vestro generi fatale, tuæq;  
 Virtutis proprium, magnos compescere fastus  
 Burgundæ gentis: quæ nunc sociata Britannis  
 Rege nouo exultans, nostris in finibus agros  
 Præsidij vacuos populatur, & oppida carpit.

Vt coniux per ægrè redeuntem casta maritum,  
 Ipsa domi longo cum tempore sola fuisset,  
 Excipit amplexu tenero: voluuntur abortæ  
 Letitiâ lacrymæ perq; illius ora genasq;:  
 Haud minus aduentu Rex ipse Erricus, & omnis  
 Visa domus gaudere tuo: par rura per vrbes  
 Festa celebrantur plenis conuiuia mensis.

Vt Sol exoriens concussas grandine siluas,  
 Depressos & humi flores, languentiaq; arua  
 Erigit, & cælum radijs terrasq; serenat:  
 Sic percussa graui tu vulnere pectora plebis  
 Nobiliumq; animos reficis, speq; arduus implet.  
 Et modò noster Eques sæuo concisus ab hoste,  
 Te rectore, diu non se fore sperat inultum,  
 Et spolia Hispanos creptaq; signa reposcit.

Hæc hominum de te spes vulgo est: irrita ne sit  
 Illa, vide. Per multa potes numerare trophæa  
 Hostibus à domitis, multos numerare triumphos:  
 Quos tamen vna dies, vnusq; euertere casus  
 Et fortuna potest: laudemq; abolere priorem.

Annibal & Pompeius item duo lumina gentis  
 Quisq; suæ, multas bello retulere coronas,  
 Collatis ausi toties decernere signis:  
 Victus vterq; fuit documento, quàm nihil vsquam  
 Perpetuum solet in terris fixumq; manere:  
 Humanis quàm nulla subest constantia rebus.  
 Quid, domitorum Asiæ Cyrum, non vna subegit  
 Fœmina, & abscisum caput illi sanguine mersit?

Nam cur ipse tuos exempla domestica ponam  
 Ante oculos? Cur Parthenopes tentata beate  
 Regna tuis atavis, infausto Marte, per annos  
 Centum continuos, Errici post quoq; Regis  
 Auspicijs, ductuq; tuo? Fuit exitus idem  
 Penè tibi: nisi quòd seruatus cum duce miles  
 Incolumis saluusq; domum patriamq; reuertit.  
 Hoc ducis egregij prudentia fecit, vt illos  
 Quos adèd seruare salus nec si velit ipsa,  
 Posse videbatur, cunctos seruaret ad vnum.  
 Parua manus, sed enim grauibus defuncta periculis  
 Sæpius, & multos quondam perpeffa labores.  
 Nec tibi prætermiſsa tui pars muneris vlla,  
 Tantum displicuisse Deo mihi caussa videtur:  
 Aut nimia hæc totum iam penè vagata per orbem  
 Ambitio, aut ciues aliquid peccauimus ipsi.

Si gaudet rerum vicibus Fortuna, diuq;  
 Stare loco nescit, si nos huc versat & illuc,  
 Arbitrioq; suo spoliat, vel honoribus auget:  
 Idq; alijs belli ducibus si contigit antè

Innumeris, tibi si contingere posse putabis,  
 Noli præteritis nimium confidere factis,  
 Neue seras cælo caput altius, aut timidum cor,  
 Ne metue euentus dubios, tristemq; futuri  
 Temporis inuidiam, leuis aut opprobria vulgi:  
 Sed quencunq; dabit finem Deus, accipe grato  
 Præsentiq; animo. Causas mortalibus esse  
 Ignotas voluit: tua sit modò culpa, caueto.

Quid si nec populo, quæ tot victoria votis  
 Expeditur, Regi nec sæpe sit utilis ipsi?  
 Impleuit varijs Asiæ victoria Romanam  
 Delicijs: & quam non Punica bella tot annos  
 Continuata prius, non regis & arma Philippi  
 Contuderant, peregrina seueram perdidit urbem  
 Luxuria. hinc cædes, & publica furta, rapinæ,  
 Direptæq; vrbes, sociorum, & dira cupido  
 Regnandi in patria, ciuilia deniq; bella.

Insubrum capto duce nuper, & vberè campo  
 Felicis nimium populi, sædeq; peremptis  
 Heluetijs Francisco ausis concurrere Regi,  
 Plus damniq; maliq; accepit Gallia, capto  
 Quàm post Rege suo Ticini ad fluminis vndas.  
 Imperium Francorum & gloria nominis aucta est:  
 Sed mores abire boni. Vix octo Loisi  
 Regis ab interitu numeramus lustra, fuisse  
 Dicas mille, viris tantum distamus ab illis,  
 Prima quibus tum cura fuit seruare paternum  
 Prædiolum, seruare larem vigilanter auitum:

Tum desiderijs fines adhibere, modumq;  
 Sumptibus, & proprio contentis, iam nihil ultra  
 Appetere, & nullas vicino intendere lites:  
 Castra sequi, & pulchram bello sibi quærere landem:  
 Rarò in conspectum Regis procerumq; venire,  
 Scire nec obsequijs animos captare potentum,  
 Nec blando sermone mereri præmia Regum:  
 Scire famem perferre, sitimq;, & frigus, & æstum:  
 Scire equitem medio peditemq; lace scere campo.

Horum de numero procedat si quis in Aulam,  
 Horridus, & sudore fluens, & puluere plenus,  
 Quos istis auro fulgentibus, & bene lautis,  
 Commoueat risus: vt præter sibila secum  
 Nil prorsus referat. Quid nos victore putamus  
 Aequius imperium aut melius sub Rege futurum?  
 Pauci adeò Reges fortunam ferre secundam  
 Aequa mente sciunt: & iam securus ab hoste,  
 In sua rex strictum conuertit viscera ferrum:  
 Sæpe vel incautos conficta calumnia Reges  
 Auribus apprehendit, turpisuè inscitia rerum.  
 Arguitur sceleris, villam qui sortè propinquam  
 Hic habet, & vidit vsq; sua quam Regis amicus.  
 Ornantur testes, miseroq; redempta parantur  
 Iudicia, ô saltem redimat se Castoris instar  
 Castoreo, & salua iactet patrimonia vita.  
 Sed viuis rerum dominis aliena tenêre  
 Nec tutò se posse putant. Ea nos bona stulti  
 Ducimus, exitio multis quæ sæpe fuêre,

Mille cadunt populis ducibusq; incommoda victis:  
 Multò plura cadunt etiam victoribus ipsis:  
 Interitusq; ferunt animorum & corporis vna.  
 Corrumunt hominum felicia tempora mentes:  
 Auertuntq; Deo sensus, nec tollere cælo  
 Ora sinunt. Quis enim lætis cœlestia rebus  
 Cogitat aduersis, quàm sit miseranda monemur  
 Conditio nostræ, quàm vilis & infima, vite.  
 Tunc opis humanæ deiecti præsidio, spem  
 Vertimus ad Superos trepidi, veniamq; precamur:  
 Mutamus mores. ea nos via lenis in altum  
 Ducit, vbi sedes animis æterna beatæ.

Miramur si quando preces non auribus æquis  
 Accipit, aut hominum reddit contraria votis  
 Sæpe Deus: durumq; inclementemq; vocamus.  
 Vt pater infanti puero si dira venena,  
 Siue micans ferrum, aut aliud quid fortè petenti  
 Mortiferum, tamen ille negat: tibi durus & asper,  
 Non patrio indulgens potius videatur amori?

Ergo tu referre putas nihil, hostibus vtrum,  
 An gesti nobis accedat gloria belli?  
 Non ego. Sed primùm iubeo nos quærere pacem:  
 Si pax nulla datur, nec conditionibus æquis,  
 Contestare Deos inuitum accingier armis:  
 Auxilioq; voca. non illi tempore longo  
 Numina passuri sua sunt contempta iacere.  
 Si necdum melior belli fortuna sequetur:  
 Rursus & auersi placanda est numinis ira.

Nec pecudum fibris, sed pura mente litandum est,  
Sincerisq; animis: Cùm sit Deus optimus ipse,  
Non amat ille preces, non impia vota malorum.

Tu plenus stupri, plenusq; libidinis intus,  
Et furax, & auarus, & ambitiosus honorum,  
Impetrare putas aliquid te posse, priusquam  
Ablueris sacra viui te fluminis vnda:

Quem foribus templi sapiens arcere sacerdos  
Debuit, atq; reos inter plorare iubere.

Tu prima si luce genu curuaueris aras  
Ante Deum, tibi deinde putas extrema licere  
Omnia: rideri non vult Deus, & videt intus  
Quid tectum vel fronte geras, vel pectore clausum:  
Et fictas odit lacrymas, simulataq; verba.

Iactabat Legis studium Pharisæus, & ore  
Decantata suo Moysi mandata ferebat,  
Displicuit Domino: Manceps, quia turpia coram  
Lucra fatebatur, venia donatus abiuit.

Nos etiam aduersæ nuper cùm nuntia pugne  
Fama repens nostras inopinaq; venit ad aures,  
Consternati animis, quibus arma viriq; decessent:  
Cumq; putaretur portæ iam proximus hostis,  
Ad delubra Deum confugimus, & prece multa  
Suppliciter pacem veniamq; poposcimus illos.  
Continuit se quisq; dies vix quatuor, hostis  
Cùm subito regredi, vel non procedere, fertur.  
Ilicet excussa formidine protinus omnes  
Ad vomitum redeunt, & vitæ probra prioris.

Ut pueri lusum repetunt abeunte magistro:  
 Nunc peccant homines peiora prioribus illis,  
 Nec dilata putant, sed tempus in omne remissa  
 Supplicia: elusisq; Deis impunè, iocantur.  
 Hostis abit. Quis scis an verè ineunte redibit  
 Fortior & melior? nobis sunt omnia victis  
 Inferiora. Ducis Roma Latioq; remissi  
 Non feret aspectum Germanus miles: & ora  
 Vertet ob os illius. Ea spe ducitur omnis  
 Gallia. nec quisquam est alius, quo fidere tantum,  
 Quoùe magis ductore animos attollere possit.  
 Verùm multa cadunt inter duo tempora, multæ hoc  
 Ne duce pugnetur possunt existere causæ.  
 Aut quisnam Superùm fatis iræq; resistat?

Mutemus mores igitur, veniamq; precemur,  
 Imprimisq; Deos & tota mente colamus  
 Et totis animis: exin nos inter amemus.  
 Sit bene sarta velut multorum gratia fratrum:  
 Nec minor alterius quàm nostræ cura salutis.  
 Quæ si fixa animo penitus mandata geremus,  
 Mortes, exilia, atq; fugas, & damna bonorum,  
 Quæq; solent alia aduersis accedere rebus,  
 Haud magni faciemus. erunt neq; tristia nobis  
 Aspera, nec vel amara nimis, vel dura, ferendo.

Scilicet extinctos merces vberima cælo,  
 Et promissa manent æternæ præmia vitæ.

88      ADR. TORNEBI  
DE CALETI ET GVINÆ,  
Oppidorum proximo hoc bello cap-  
torum, expugnatione, Car-  
men longè doctissimum.

**S**ic mutat Fortuna vices, & ludit atrocem  
More suo ludum, nunc his, nunc æquior illis.  
Nos adeò fusi, & magno certamine victi  
Nuper ab Hispanis, fortes modò vicimus Anglos:  
Ereptas patribus tandemq; recepimus vrbes:  
Oceano in medio iussis regnare Britannis.  
Illi cum lacrymis terra cessèret retenta,  
Possessaq; suis atavis iam tempore longo.  
Namq; erat in fatis redditurum haud antè Caletum  
Ad veteres dominos, quàm se Regina marito  
Traderet externo, veterumq; propagine Regum  
Posthabita, nouus hic succederet aduena regnis.  
Ipse, Valefina venturum è stirpe nepotem,  
Merlinus vates multò prædixerat antè.  
Sanguinis vltorem nostri, cladisq; futurum  
Cresciacæ, cecidit qua Francica penè iuuentus  
Omnis, & extinctæ sunt longa in tempora vires.  
Non magis ille suis (quanquam verissimus auctor)  
Creditus est, Troiæ Priami quàm filia Regis.  
Quinetiam tantum his animi victoria duplex  
Addiderat, tantus nostri contemptus, vt arcis  
In foribus summis legeretur marmore duro  
Incisum Carmen (valet id sermone Latino)

TVM DEMVM FRANCVS PREMET  
 OBSIDIONE CALETVM,  
 CVM FERRVM PLVMBVMVE NA-  
 TABIT SVBERIS INSTAR.

*Barbara vox, supraq; hominum fiducia morem.*

*Sed neque tot circumductæ, fusæq; paludes,  
 Totq; obiecta vias passim castella per omncis  
 Præsidijs incessa virum, potuere morari  
 Nostrorum turmas equitum, peditumq; cohortes.  
 Ipse feros secum diuersis partibus orbis  
 Adductos rapiens comites, sublimis in alto  
 Lotareus equo, prius est conspectus ad urbem  
 Designare locum castris, & cingere vallo,  
 Quam miseri ciues illum potuisse putarent  
 Angustos aditus, arctosque euadere calles.*

*Hic, labor exoriturq; nouus, maiorq; priore.  
 Murus erat latere è cocto firmissimus, alta  
 Incinctus fossa, verum post aggere nullo  
 Subnixus, lapidis iactu vix æquore distans.  
 In medio littus, Nerei quod proluit vnda,  
 Bisque die refluxo terris illabitur æstu.  
 Tum me ludentem nemo, conchæve legentem  
 Viderit. at siccam postquam mare liquit arenam  
 Discedens, pedibus tamen hic constititur ægrè.  
 Nec patiens onerum locus est: & sæpius altè  
 Subsudet, iniectoq; fatiscit pondere tellus.  
 Hac regione, leui subiectis cratibus alno,  
 Exponenda fuit tamen omnis machina belli.*

*Ingens*

Ingens præterea, suspectuq; ardua turris  
 Missilibus portumq; globis, littusq; premebat.  
 Omnia quæ tam multa ferox incommoda noster  
 Miles, & vnus vicit ducis inçlyta virtus.  
 Expugnata prius turris: mox Regia muro  
 Iuncta domus, primos aditus patefecit in urbem.  
 Armatis data pax, & inermibus: vrbe relicta  
 Illesi ciues aliò concedere iussi.

At tu Guina ferox, Domini clementis & æquæ  
 Audires potius leges, & mollia iussa,  
 Quàm Rex experiare, manu quid possit & armis.  
 Non tua nunc euersa, soloq; æquata iacerent  
 Mœnia: non domibus lapsis inducat aratrum  
 Agricola, inq; nouo sementem præparet aruo.

Quis furor, aut quænam rabies hæc, strage virorum  
 Non contenta, simul nisi totas hauriat vrbes,  
 Integraq; addictis cum ciuibus oppida sacret  
 Dijs Erebi? Nuper Teruenam vidimus urbem  
 In Morinis, Ediniq; superbam vidimus arcem.  
 Vix in vtrisque locis hodie vestigia parent  
 Tectorum, quæ sint fortassis in hoste ferenda.  
 Id verò, manibus proprijs sua mœnia ciues  
 Deicere, incensasq; faces supponere tectis,  
 Parcere nec patriæ, victor cui parceret hostis,  
 Quale fuisse putas, hominum magis, anne ferarum?

Sed nostris ducibus præclaro munere Diuum  
 Intentata prius cœlo victoria venit.

Cùm mare cùm glacialis hyems, & cùm vetus vrbis

Gloria, cumq; recens aduersæ infamia pugnae,  
 Et nimium Fortuna diu contraria, possent  
 Talibus, audaces quamuis, abducere cœptis:  
 Mens Errice tamen semper tibi constitit vna:  
 Te solum referunt animos firmasse tuorum.  
 Scilicet vt Regum cœlesti numine mentes  
 Impelliq;, trahiq;, Deis quocunque videtur,  
 Et quo mortales nequeunt pertingere sensus,  
 Addiscant homines, mirari cur ita fiant  
 Plurima, factorumq; abstinent quæerere causas.

Ac Deus is, quicumque tibi fuit istius author  
 Consilij, monstrauit iter, ducibusq; præiuit  
 Idem Errice tuis, donec res ordine gesta est.  
 Idem, multorum cum posceret æra dierum  
 Miles inops, & signa sequi se posse negaret,  
 Exhausto penitus belli per tempora fisco:  
 Hunc animum in patriam dedit hanc tibi Carole mentē,  
 Vt tu vas, sponsorq; rei communis, in vrbe  
 Parisia, biduo omne bonis à ciuibus aurum  
 Acciperes: quæ mox diuisa pecunia fratri  
 Morigeros comites, & ad omnia iussa paratos  
 Reddidit. His opibus pulsi cessere Britanni  
 Littoribus nostris maria vltra cœrula Ponti.

Quas, ergo, tot opumq;, Deo, tantaq; datori  
 Letitiæ, nobis fas est persoluere grates?  
 An delecta bouum, pecudum vel corpora centum  
 Illius ante pias grati mactabimus aras?  
 An letum Pæana canemus, Ioq; triumphos?

Quodq;

Quodq; solet dici victorum carmen honori?  
 Vsurpata malis cultoribus ista Deorum.  
 Nos hanc gloriolam potius, laudemq; sinamus  
 Inuicto, fortiq; Deo: turgentia Regum  
 Colla superborum qui proterit, & pede calcat:  
 Subiectos, humilesq; ipsiq; accepta ferentis  
 Omnia, tollit humo supera ad conuexa polorum.  
 Qui nos successu nimio, rebúsq; secundis  
 Inflatos, ideò castigat more paterno  
 Castibus exercens varijs, ne nostra putemus  
 Quae nos ille frui secunda mente sinebat:  
 Ut rerum & columnen nostrarum, spemq; salutis,  
 Priuati, Regesq; Deo ponamus in vno:  
 Nec fracti nimium, dura cum sorte grauamur:  
 Nec rursus elati, veniunt cum prospera nobis.

IN REDITVM FRANCISCI  
 LOTARENI GVISIO-  
 RVM DVCIS.

**I**Te coronati, festiuoq; agmine Ciues:  
 Ite, nouis quam mos Regibus ire viam.  
 Ite Magistratus cum fascibus, ite ministri  
 Sacrorum: ite minor turba, Senator, Eques.  
 Omne forum sileat: clausae sint vrbe tabernae  
 Artificum: locus hoc nullus honore vacet,  
 En vobis erit ad primum, lapidémve secundum,  
 Obuius in niueo dux Guisianus equo:

Victor

Victor ab indomitis qui nunc redit vsq; Britannis,

Quâ maris angusto cogitur vnda freto.

Multos ille armis populos, multa oppida cepit:

Gallorum fines protulit Oceano.

Quis Guinam potuisse capi, potuisse Caletum

Credat, vt aduersus stet genus omne virum?

Ipsa suis opibus fidens, & Rege marito,

Hoc longè veniens spreuerat antè malum:

Arguerat vaniq; suos Regina timoris:

Nulla sed inuitis sat loca tuta Deis.

Aspice, nec gemmis volitat, nec splendidus auro,

Captiuos hominum nec trahit ille greges.

E tantis spolijs, prædæq; ingentis aceruo,

Nil tulit, hunc albo corpore præter equum.

Hunc tamen, vt quoties gradietur, nobilis huius

In patriam toties sit nemor officij.

Cætera pro meritis socios diuisit in omnes,

Contentus laudis præmia ferre domum.

Ergo prætereunte viro bona dicite verba,

Et manibus plausum congeminate pijs:

Atque Deos orate, sinant hunc, Principe nostro

Incolumi, longos vt superesse dies.

Hoc ego nec flauos metuam rectore Britannos,

Nec Bataue gentis Vangionumq; minas.

Sperem etiam magni superato flumine Rheni.

Lilia Pannonico fixa videre solo.

Talibus inceptis moliri, Errice, decebat

Regna tibi fatis debita, spemq; nurus:

94 MICH. HOSPIT;

Imperiumq; tuum media regione subacta,  
Extremis hominum continuare Scotis.

IN REDITVM EIVSDEM  
DVCIS, IOACHIM.  
BELLAIVS.

Vt quondam in patriam retulit cum signa Camillus,  
Spectandum niueis se dedit altus equis:  
Guisius è domitis nuper sic ipse Britannis  
Signa refert, niueo sic quoq; vectus equo.  
Aequo præda duci prædæ melioris auaro  
Albus cessit equusq; cætera miles habet.  
Hec ille ex capto retulit spolia ampla Caleto,  
Hanc prædam victo victor ab hoste tulit.  
At non parua tulit virtutis præmia, victor  
Hostis qui redijt, victor & ipse sui.  
Multorum præda est, miles quam quisq; reportat.  
Vnius est magni præda sed ista ducis.

AD CLARISSIMVN VL-  
rum M. Hospitalem,  
Hel. Andreas.

Sint emissa licet suppresso nomine patris.  
Continuò agnouit pignora quisque tua.  
Incessu grauitas, procerus in corpore candor,  
Cumq; sale ardua mens, ingeniumq; pium.  
Dotibus est amplius, clarusq; Philoxenus istis:

Talis

Talis musa recens edita clam, ergo tua.

DE THEAVILLA CAPTA,  
MICH. HOSPIT.  
CARMEN.

**V**T grauis & senio confectus miles ad arma  
Cum patriæ res poscet, inutilis ipse, vocabit  
Florenteis alios quantum contendere nixu  
Et laterum & vocis poterit, seseq; paratum  
Ostendet ferro patriam defendere & armis,  
Amisse quondam superent in corpore vires:  
Sic ego, cui tenuis puero, vel nulla facultas  
Antè fuit, nullus scribendi carminis vsus,  
Et siquid fuerat, veniens tamen abstulit ætas,  
Hortari assidue nostros haud desino vates,  
Argumenta sibi præclaris sumere digna  
Quemlibet ingenijs, patriamq; ornare, virosq;  
Siue pares illis, seu non virtute minores,  
Quos aut Virgilius, quos aut cantauit Homerus.  
Ni Danaos ea maior erit laus, mille profectos  
Nauibus à patria, decimo vix segniter anno  
Vnam Astæ cepisse dolis & fraudibus urbem:  
Aut magnum Aeneam Rutulos superasse colonos  
Fretum opibusq; suis socialiq; agmine fretum  
Arcadis Euandri, tria quàm fortissima bello  
Oppida ter denis (summum) expugnasse diebus.  
Nec verò Phrygio constatum milite molli

Præsidium

Præsidium intus erat. Sed defensore Britanno  
 Guina tenebatur, celsiq; arx alta Caleti.  
 Hic quoque plus operis, Theauillam nanq; paludes  
 Vndique cingebant, gelidiq; profunda Mosellæ  
 Flumina, delectumq; ex omni milite robur,  
 Præstante isq; viros incluserat vrbe Philippus:  
 Quum Metis fabricas & ahenea multa parari  
 Audisset tormenta, pilasq; ex ære, simulq;  
 Ingentem valde numerum mixti sale nitro  
 Sulphuris. hæc secum haud frustra prouisa putabat.  
 Hisq; velut claustris sperabat, & obice tali  
 Nostra moraturum se, iam gradientia campo  
 Agmina: dum vocat ipse suos malè parcus cunteis  
 Tardius, & segnes cogit sub signa maniplos.  
 Obsessi interea media plus parte suorum  
 Amissa, cum murum hostis turremq; teneret,  
 Nostrorum (sperest via quando hæc vna salutis)  
 Permisere ducum fidei res, arma, virosq;  
 Omnia, quæ illorum precibus concessa benignè.  
 Et medici morbos curareq; vulnera iussi,  
 Pertulerant toto ciues quæ plurima bello:  
 Adiutiq; inopes & equis & nauibus, vtrum  
 Carpere iter mallent: tum si quis in vrbe manere  
 Vellet & in patria, non ægre facta potestas.

Hæc demum insignis pietas, ea regia virtus,  
 Vt bello premere armatos, sic parcere victis.  
 Nec tam se sortes animi generosaq; monstrans  
 Pectora, dum vertunt inis à sedibus vrbes

Complent cæde vias: nec tantum laudis ab illa.  
 Strage domum referent: quàm cum miserabile vulgus  
 Illæsum seruant, illibatùmq; pudorem  
 Virginibus. trahit hæc quanuis aliena stupentum  
 Corda virum, & sæuos clementia mitigat hostes,  
 Iphis sæpe suum facinus victoribus, ipsis  
 Dissplicet. hoc iterum quàm nolint vincere pacto:  
 Aut quis Marcelli, quis non audiuit inanes  
 Corneli gemitus, admistâq; gaudia luctu:  
 Dum duo diuersis regionibus oppida vertunt  
 Maxima, nec cohibere valent iam militis iras,  
 Quin ruat, & rapidis permisceat omnia flammis?  
 Ipse ferus quanuis cædiq; asuetus Achilles  
 Vix, puto, vix teneat lacrymas, si versa videret  
 Pergama, si pulchris subiecta incendia tectis,  
 Ante virum matres, & matrum ante ora puellas  
 Prostitui, capita illidi puerilia muris,  
 Si nullo ætatis, nullo discrimine sexus  
 Per vicos passim proiecta cadauera cernat.  
 Et captæ si quid grauius tum contigit vrbi.

Nos vnum & commune quibus nomen dedit vna  
 Relligio, ritusq; pares, moremq; sacrorum,  
 Quanquam diuisis cælo, terraq; mariq;  
 Quanquam sub Regum positis ditione duorum,  
 Nos tanquam fratres vno genitore creati.  
 Complures, nos vnus quasi corporis artus,  
 Indorum vel more Scytharum bella geramus?  
 Qui neq; dicuntur pueris, senibusue caducis.

Parcere, nec tenera quauis ætate puellis.  
 Ipsa (nefas dictu) captorum viscera torrent  
 Ignibus, & diris epulanda apponere mensis  
 Haud dubitant. Quin hæc potius crudelia, fratres,  
 Bella relinquamus, nostris contraria votis,  
 Bella aduersa Deo. quæ si quandoq; coacti  
 Suscipimus, bellum nobis cum fratribus esse  
 In mentem veniat, quibus æquum, lege, paremq;  
 Ac nobis, ipsi præstare iubemur amorem.

Hæc animo reputans, nec pacem poscere, duces  
 Turpe: nec oranti pacem concedere, turpe.  
 Ergo nec patria, nec Regis nomine quicquam  
 Indignum fecit, puero qui nuper eunti  
 Traditus ad matrem ductor custosq; fidelis,  
 Conuentu in medio sermonem iniecit honestum  
 Aeterna de pace prior: nec protinus hosti  
 Plus aliquid iusto tribuit, fas suscipere timorem est.  
 Nempe aliud potius quid poscat & optet, ab illo  
 Rege suo veniens alijs qui regibus anteit  
 Omnibus, & pietatis habet cognomen in illis  
 Præcipuæ, quæ vox potuit magis vlla decere  
 Pontificem? Nimis ille ferox audiusq; fuisse  
 Sanguinis humani legatus ab vrbe videtur  
 Ad Poenas Fabius, qui cum mandata Senatus  
 Effari iussus Tyrijs præsentibus esset,  
 Facto è vestri sinu, bellum hinc pacemq; tenemus:  
 Sumite de medio vobis vtrumlibet, inquit:  
 Tu, verò acclamant, vtrum placet elige. Bellum

Effuso simul ille sinu se tradere, dixit.

Mallem equidem pacem. non tot post nominis Afrî  
Italicîq; malo periissent millia letho.

Attamen est nostri sermo reiectus ab hoste

Pacificatoris. Quid nos ignauius arma  
Cepimus, eiectione spe pacis, an acrius, ipsos

Auxilio nobis sperantes affore Diuos?

Semper enim superi reges odere superbos.

Supplicibus parcunt, pacemq; petentibus vltro.

Quid? qui præsidium capta dimisit ab vrbe,

Emisit ciues cum matribus atq; puellis

Saluos incolumesq; fidem seruauit, & omne

Præstitit officium charis quod suevit amicis,

Non tibi maior erit, quàm si iugulasset inermes

Armatosq; simul, venum aut captiua dedisset

Corpora, & in cinerem vertisset tecta domosq;?

Quare magnificis, fratrum celebrandus vterq;

Laudibus, ille quidem mihi semper & omnibus horis

Huic seruatori patriæ, finesq; regenti

Francorum veteres, vos ô quibus aurea pleno

Egregij vates fundit se copia cornu,

Concinite æternos meritis pro talibus hymnos.

Nec tu Rex Henrice, tenax & parcus honorum

Erga illum fueris, tibi qui diuersa trophæa

Hostibus à victis statuit duo maxima, paucis

Mensibus. Hic te Rege fuit dignissimus vno:

Hunc fortuna ducem meruit tua. respice quantum

Terrarum ditione tenes, quas finibus vrbes

Ille tuis, qui rura vel agros addidit: omnis  
 Oceanus tibi seruit, & omnis ripa Mosella  
 Proxima Treueris, Germaniq; hospita Rheni.  
 Hoc duce, præterito recreati corda timore  
 Incipimus sperare etiam, nos posse recentem  
 Aspersam maculam Quintino abstergere bello,  
 Dij te longæuum nobis Henrice, ducemq;  
 Hunc tibi longæuum seruent: vt & ipse requiras  
 Extinctum nunquam, te nec desideret ille.

IN FRANCISCI ILLV-  
 strissimi Franciæ Delphini, & Ma-  
 riæ sereniss. Scotorum reginæ  
 nuptias, Carmen.

**M**E ne etiam cantare iubes & ludere versu  
 Nec dum mature teneros ætatis amores,  
 Quos insueta Venus lasciuæ compede vinxit  
 Ante diem, thalamoq; pares sociavit eburno?  
 Digna magis placidis vatum quos educat aula  
 Res erat ingenijs, vel docta Lutetia fundit  
 Quos gremio sæcunda suo. mihi publica rerum  
 Cura gerendarum sensus effecit amarus:  
 Lætitiãq; omnem vetula grauis abstulit ætas.  
 Ipse quidem satis vsq; satis fecisse videbor,  
 Attulero causas properati sæderis huius  
 Reges & populos inter duo. nanq; maligne

Quidam

Quidam homines etiam hæc vulgò connubia rodunt.

Non quo more solent humiles de plebe mariti

Expectare, pilus dum mentum mollis inumbret,

Et iustæ vigeant robusto in corpore vires,

Sic Reges faciunt. licet illis ducere lectas

Quandocunq; volunt, quacunq; ætate puellas

In magno numero. Personis regia paucis

Progenies, paucis domibus concluditur arctè.

Vnde semel neglecta prior quæ se obtulit istis

Conditio, frustra similis venientibus annis

Queritur. hinc natis quandoq; superbia patrum

Obfuit: innuptæq; domi mansere puellæ,

Et sole in vacuo longum gemuere cubili,

Nulla expers adeò prorsus fortuna malorum est.

Sed par non aliud conuenit pulchrius vnquam

Nobiliusue. Puer vultu facieq; decora

Iam magni fortisq; futuri principis olim

Dat clarum specimen: super hæc quoq; plurima in illo

Semina virtutis sunt non obscura paternæ.

Illæ autem præstat reliquis pulcherrima forma

Virginibus, comitesq; suas supereminet omnes:

Aspectu veneranda, putes vt numen inesse,

Tantus in ore decor, maiestas regia tanta est,

Accessere etiam diuinæ Palladis artes,

Et maior sexu prudentia, maior & annis.

Quæ bona, si posita in mediocri sorte fuissent,

Per se magna tamen poterant atq; ampla videri.

Lucent illa quidem mage Regibus insita magnis:

Tum decus accipiunt à Regibus ipsa vicissim,  
Splendidior gemma vt meliore inclusa metallo.

Accipe nunc quid opum vel vterq;, vel altera doti  
Contulerit. Puer Henrici spes magna parentis,  
Vnus & imperij Francorum ac nominis hæres  
Designatus: at illa suo regina marito  
Scotorum tabulis Regnum dotalibus affert.  
Paruum (inquis) paruum. fateor, componimus illud  
Si nostro. sed cuius opem sensitq; paratum  
Non semel auxilium labefactis Gallia rebus.  
Cum bellum gererent nostris in finibus Angli,  
Desertam illorum patriam simul agmine facto  
Scoti incurfabant. metus hic sua protinus illos  
Respicere, & nostris cogebat cedere terris.  
Quinetiam tellus his tam focunda virorum,  
Tamq; ardens animus belliq; incensus amore,  
Vt cum alius præmeret vicinum exercitus hostem,  
Suppetias alius nobis laturus eodem  
Tempore, cærulei transmitteret æquora Ponti.  
Pro quo rex Scotus frater sociusq; vocari  
Regibus à Francis meruit: stipantq; frequentes  
Semper adhuc Scoti Francorum corpora Regum.  
Nunc quondam socia, & longo diuisa locorum  
Atq; maris tractu, viuunt & legibus iisdem.  
Et discent vni domino parere libenter  
Regna duo. At medij qui sunt vtrisque Britanni  
Forſitan hostiles animos, odiumq; remittent:  
Hærediq; ferent materni sanguinis vltro

Imperium, vel, si malint contendere bello,  
 Discant quid virtus possit coniuncta duorum.  
 Magna quidem memoro, sed enim Dij cetera, Guinis  
 Excisis, captoq; iubent sperare Caletio.

At vos letitia, Galli Scotiq;, solutos  
 Exhilarate animos, atq; omnem ponite curam:  
 Tuq; Errice parens, & tu Catharina bonorum  
 Tot Regum genitrix, & tu Soror optima Regis:  
 Vos etiam fratres duo gentis lumina nostræ,  
 Clari ambo studijs civilibus, alter & armis,  
 Quorum pulchra soror regi est enixa marito  
 Hoc decus. Ille quidem moriens hæc tanta videre  
 Gaudia non potuit. natorum cura suorum  
 Si qua tamen reliqua est patribus iam lumine cassis,  
 Ipsum credibile est letari virgine tali,  
 Et tanto genero: grauius neq; ferre vetustum  
 Gentis adoptiuo cognomine crescere nomen.  
 At mater regina libens spectacula cernat  
 Hæc oculis, nec ferre viæ cursusq; laborem  
 Extimeat, nec se rapidis committere ventis.  
 Sed potior pietas, & rerum publica cura  
 Distinet, inuitamq; locis consistere cogit.  
 Omnes præterea quibus aut bona, vel quibus æqua  
 Mens fuit, hunc faustis fortunatisq; diebus  
 Inseruere diem: atq; eius meminisse nepotes  
 Præcipiunt. Ipsi reges, quos ordine stanteis  
 Cernimus ex altis fora despectare columnis,  
 Exultasse mihi, signumq; dedisse videntur

Lætitiæ. tantò mage ferrea corda quibusdam  
 Sunt hominum, quàm vel statuis è marmore ductis.  
 Nam quid iactatas memorem per compita voces,  
 Multorum & fictas lacrymas, perijsse ferentum  
 Omnia: & abscissam longos spem pacis in annos,  
 Si Francis illæsa fides, Scotisq; maneret?  
 Quinetiam, versis animis, noua scædera Regem,  
 Atq; alias aliasq; nurus spectare iuebant:  
 Vnam autem gemina (credo) iam prole parentem,  
 Bis totidem natam quot Regis filius annos.  
 Quæ res visa parùm, vel iniquis auribus, æqua.  
 Idcirco regi confingitur esse Philippo  
 Nubilis & matura viro iam filia, nobis  
 Quam spondere velit, finemq; imponere bello.

Hæc primùm fabella creauit Regis amicis  
 Inuidiam: detecta, aliquo post tempore, risum  
 Commouit populis: tam vana & turpia liuor  
 Sæpe malus stultos adigit prorumpere verba:  
 Quos ego commoneo, perfectis deniq; rebus,  
 Desinere in vulgus pueriles spargere nugas:  
 Desinere &, quæ visa Deis sunt, tendere contrà.

Nū studijs, genere atq; opibus, num deniq; forma  
 Inuenient aliam, quæ se huic componere possit?  
 Quid promissa fides, cùm flens regina puellam  
 Mater adhuc teneram Regi transmisset: & illo  
 Pignore firmavit tabulas & pacta futuri  
 Coniugij? vel tot precibus votisq; petitam  
 Perfidiosa suis nunc Gallia reddat amicis?

Ille viro despecta alij cum nupserit, omnem  
Semper agat vitam non inmemor ante repulse:  
Et iustum cupiens vlcisci irata dolorem,  
Cum ducibus nostris gerat implacabile bellum:  
Aut sædè populetur agros, aut nauibus ignes  
Iniiciat, nostriq; infestet littoris oram.  
Vt nec commoueat sese: tamen Anglia nullum  
A tergo metuens, conscensis nauibus, hostem  
Tetra magis, belloq; incumbat durior vni.  
Sic nobis veniat cum damno dedecus ingens.  
Dij tantum prohibete malum, atq; auertite nostris  
Verticibus. nimis illa, nimis cum dote remissa  
Gentis Aquitanæ coniux magno stetit olim  
Regibus. hic nostras veterum malus error auorum  
Erudijt menteis, & cernere fecit acutum.  
Vos inimicitias, odia aut priuata secuti  
Non potuistis item perpendere, quid sit honestum,  
Et quid damnosum, aut communiter vtile nobis.  
Tempus erit, cum leta domus se regia tollet  
Natorum numero, & diuinæ stirpis honore.  
Quot dabit illa viros, tot erunt tribuenda viritim  
Regna superstibus. continget Gallia primo:  
Proximus Insubrùm populos, omnemq; tenebit  
Italiam, Alpibus à montibus vsq; Tarentum.  
Hic Scotis & iura dabit: reget ille Britannos.  
Accipient alias alij mox ordine sedes.  
Sic totum natis genitor dispertiet orbem.  
Hæc mihi nanque suo vati prædixit Apollo.

Quæ mea posteritas (vt spero) læta videbit:  
 Et dicet (si nostra manent modò carmina) dicet,  
 Ista olim iam noster auus ventura canebat,  
 Maxima pars hominum fieri cùm posse negaret.

AD CAROLVM CARDI-  
 nalem Lotarenum, de pace,  
 Carmen.

S I pacem tecum referes, tua munia Regi  
 Et populo non grata minus promittere possum,  
 Quàm fraterna fuit nuper victoria pulsis  
 Hostibus, & capto magna cum laude Caeto.  
 Ingenium tibi Dijs, sermonem & verba dedere,  
 Queis animos regere, & quòuis impellere possis.  
 Nec renuunt hostes, nec pacem nolle Philippus  
 Dicitur. At Christerna sui cupidissima nati,  
 Nonnunquam teneris missura amplexibus illum est,  
 Quem bello speret nequicquam posse teneri.  
 Quo sit nostra loco, quo res (neque te fugit) hostis.  
 Opprimimur Celtae pariter, Belgæq; malorum  
 Ingenti cumulo, quæ nos accersimus ipsi.  
 Iam nimium longo vexatur læsa duello  
 Gallia: iam rerum damnosa mole fatiscit.  
 Præcipites coguntur agris migrare coloni,  
 Atque alio sub sole nouas sibi querere sedes:  
 Ipsa quoque immodicis plebs vectigalibus impar,  
 Oppida, certatimq; domos & tecta relinquit.

Nobilitas

Nobilitas longæ sumptus, & ferre laborem  
 Militiæ se posse negat, nec iam locus vsquam est,  
 Pressa mali videas ubi non vestigia tanti,  
 Quis modus irarum, finisve aliena petendi?  
 Hoc animis odium, lacrymosi & semina belli,  
 Iandudum, iam tempus erat deponere Reges:  
 Iam satis experti bello, quid possit vterque,  
 Quasq; trahat secum & quantas in prælia vires,  
 Barbarus externis ideò conscribitur oris  
 Miles, vt obuersa Turcis statione relicta  
 Ferrum in nos amens, in nostraq; viscera vertat?  
 O cecas hominum mentes: dum mutua stulti  
 Pastores odia exercent, lupus intrat ouile:  
 Sæq; super caulas saltu iacit, & pecus omne  
 Dentibus infrendens laniat, pecorisq; magistros:  
 Namq; malum hoc domibus si nondum adrepere  
 vestris

Sensistis, moueant aliena pericula saltem:  
 Et Rhodus, & patruo non pridem erepta, Philippe,  
 Buda tuo, & miseræ bis iam tentata Viennæ  
 Mœnia: quæ tristem dederint si versa ruinam,  
 Pugnandum hic nobis vicini ad flumina Rheni  
 Cum Turcis erit, atque Schythis, cum milite Græco.  
 Forsitan huius erunt tot tantaq; præmia belli,  
 Vt valeant abolere metum victoribus omnem:  
 Nempe aliquod positum est opulentum & nobile re-  
 gnum

In medio, lateq; patens prouincia, partè

Alterutri

Alterutri cessura Deum quæ munere vincet.

Huc ades, atq; ex præteritis venientia rerum  
 Collige: non obscura dabunt se signa futuri  
 Temporis. Istorum donec vixere parentes  
 Triginta totos bellum gessere per annos:  
 Exhaustere suas profusis sumptibus vrbes,  
 Multa virum turpiq; dederunt millia letho.  
 Et quid post tantos morientibus vsq; labores,  
 Quid lucri redijt? prorsus nihil. vtraq; multis  
 Sæpe malis concussa, steterunt finibus ijsdem  
 Regna tamen: nec quicquam alter decerpit ab agro  
 Alterius. tam sæpe cadunt conamina Regum  
 Irrita. Quinetiam senior iam plenus honorum,  
 Cum iuuenem amisso regem genitore superbus  
 Despiceret, nec stare paterno foedere vellet:  
 Illi congressus malè, fugit: & arma coactus  
 Ponere, & infelix patrijs decedere regnis:  
 Ut viuens funus sibi duceret, atq; sepulchri  
 Vltima in Hesperia solennem conderet aram.  
 Vertit post paulò fortuna, vicemq; Philippus  
 Reddidit Errici ducibus, nec longa fuere  
 Gaudia victori, capta mox vrbe Caletum,  
 Et penitus nostro depulsis orbe Britannis.  
 Nunc iteram summis bellum reparatur vtrinq;  
 Viribus, ac si primum hodiè noua prælia tentent.

Quando igitur sine pace nequit manus vlla mederi  
 Tot tantisq; malis, adhibe vim peccatoris omnem,  
 Inienij, linguæq; ac vocis melle fluentis,

Suauius.

Suauius, hanc nobis optatam confice pacem  
 Lotarene, tibi debebit Gallia multum.  
 Nil te, pontificis cura nil dignius vnquam  
 Suscipies: mandata tui suprema magistri,  
 Promissam pueroq; fidem seruare memento.  
 Hoc faciens, querna in reditu cingere corona,  
 Et meritum Patri patriæ cognomen habebis.

AD MARGARITAM, RE-  
 gis sororem, Epistola.

**E**Ntoties noua cura subit tibi pectus honestum  
 Regia virgo, subit veteris noua cura clientis,  
 Excipiunt alios alijq; subinde labores:  
 Cura mei non digna tuo, non virginis ortæ  
 Regibus ingenio, Regis non digna sorore.  
 Et quid enim damni Respublica fecerit, aut tu,  
 Ignotum mihi perpetua si nocte prematur  
 Nomen, & hic noster consistat cursus honorum?  
 Quanquam non obscura nimis sunt tempora nostræ  
 Prima iuuentutis, vitæq; haud poenitet actæ:  
 Forsitan & veniens fuerit nec inuutilis ætas.  
 Non tamen est nobis tanti decus, aut honor vllus,  
 Vt grauis vsq; tibi vel debeat esse molestus:  
 Et pudet, in nostra tantum te ponere caussa  
 Temporis & studij, tantum cepisse laborem:  
 Pergere continuo benefacta recentia primis

Accum-

Accumulare, nouoq; tibi me obstringere nexu  
 Quinetiam ambitione mala peccare, nimisq;  
 Gnauiter & cupide prensans offendere possum.  
 Nec cogi, precibusve adigi, vult summa potestas,  
 Nec se pulsari patitur: mala nomina tanquam  
 Creditor appellet, strictoq; reposita auarus  
 Iudicio: semper nec largitoribus idem  
 Est animus, non mens eadem, non vna voluntas.  
 Regibus & mos est regumq; vetustus amicis,  
 In sublime suos nullo discrimine primum  
 Tollere, diuitijs opibusq; explere beatos:  
 Inde subit satias cum nil superaddere possunt.  
 Sape vel indignos tot honoribus, aut male grates  
 Prouexisse piget, serumq; haud tempore sumunt  
 Consilium, aut mores quos prima etate probabant  
 Incipiunt odisse senes, & protinus ipsos  
 Quos habuere duces olim, scelerumq; ministros:  
 Vlciisciq; deinde viros fit ludus, & alto  
 Exturbare gradu: sequitur grauis ecce ruina,  
 Horrendumq; malis intentat visa pauorem.  
 Vt taceam peregrina, domo producere possum  
 Nomina non ignota virum, quos Gallia valde est  
 Altius euectos prius admirata, iacenteis  
 Non minus afflictosq; solo mirata subinde est.  
 Id verò visum merito cecidisse quibusdam,  
 Pro quo Fortunam nescissent ferre secundam.  
 Tristis & aspectu miserabilis vsque bonorum  
 Casus erat: tum si qui aut nullo crimine certo

Conciderant, aut causa minus cum nota fuisset.  
 Nam cui sunt hominum satis explorata Deorum  
 Consilia? aut quanam superis sit causa premendi  
 Huius, & illius tollendi? Nostra vagatur  
 In tenebris, nec caeca potest mens cernere verum.  
 Sape bonos dictis, aut suspitione maligna  
 In fonteis premimus, culpandos saepe tuemur.  
 Siue tamen dignas meriti pro crimine poenas  
 Legibus exoluunt, iniusta siue grauantur  
 Inuidia, leuitate honorum siue datoris:  
 Tam foedi rerum euentus, tam tristia debent  
 Torpenteis nobis animos exempla mouere:  
 Sollicitos etiamq; futuri, & reddere cautos.  
 Sunt & apiscendis in honoribus atq; gerendis  
 Sunt quaedam praecipua, quibus ratione docemur  
 Letari modicè partis, modicèq; dolere  
 Amisissis, cupido communem poscere curam  
 Non animo rursus nec detrectare laborem;  
 Militiæ, aut alium, patriæ si postulat usus.  
 Imprunis, moneo, vires examinet antè  
 Quisq; suas tacitus, ne quem minus aptus & impar  
 Delatum capiat, neu sponte inuadat honorem,  
 Si valet ingenio, confidit & arte regendi  
 Vtiliter populos, patriæ si seruet amore,  
 Cur operam præbere suis, cur ferre recuset  
 Ciuibus acer opem? quin & bonus offerat vltro  
 Si melius rem auctore geri se posse putabit.  
 Ut si quando atra cum tempestate coorta

Forte regat nauem rudis ignarusq; magister,  
 Iactatamq; mari scopulis illidere tendat  
 Nescius, huic tu cum possis occurrere damno  
 Expectes, dum te socij comitesq; requirant  
 Auxilium, & dubites clauum extorquere sedenti?  
 Armatus vel cum succedat mœnibus hostis,  
 Præfectusq; loci fugiat statione relicta,  
 Non hunc tu retrahas obtorto ad mœnia collo,  
 Arma vel indigno eripias, tibi strenuus aptes,  
 Priuataq; manu patriam tutere salutem?  
 Ille decus laudemq; tulit, qui tempore lectum  
 Non opportuno, terror cum maximus esset  
 Persarum belli, tantum ciuilibus aptum  
 Prætores studijs, nullo castrensis at vsu  
 Militiæ, ignauumq; ducem submouit honore,  
 Persuasum multo prius vt decederet auro:  
 Imperiumq; sibi fortissimus ipse recepit,  
 Quo patriam, & pulchras victor seruauit Athenas.  
 Nec minor illa fuit Thebani gloria ciuis,  
 Qui successorem castris exclusit: & ultra  
 Legitimum tempus vetitos produxit honores,  
 Exemplo fortasse malo, si praua nepotum  
 Mens animusq; foret: sed tum reuerentia legum,  
 Iudicijq; metus patriæ concessit amori.  
 Imposuit bello finem, Danaumq; per vrbes  
 Constituit dominas victa Lacedæmone Thebas.  
 Ergo recusandus labor vllus, honosq; gerenti  
 Rem bene, præstantiq; viro non esse videtur.

Est tamen est aliquis tibi suffragator honoris  
 Religionē fideq; excellens antè legendus,  
 Cui velut innixus firmo consurgere trunco  
 Possis, atq; leues omneis contemnere ventos.  
 Bellum est nanq; viris, & crescere rebus honestis.

Ipse vide, quo sis animo, qua mente capeffas  
 Publica: sæpe bonus petijt qui ciuis honorem  
 Oblatum cepitue libens, corruptus adeptus est.  
 Sit via plana licet, facilisq; ascensus in altum,  
 Difficile in summo pedibus consistere rectis:  
 Lubricus, & partem locus est procliuis in omnem:  
 Caligant in luce oculi, nec ferre nitorem  
 Aut Solis possunt radios. magis optima quæq;  
 Ingenia esse solent obnoxia casibus istis.  
 Ut paulum se sustineant, post illa videbis  
 Alterius cadere impulsu, ferriq; deorsum.  
 Præterea studium nulli satis, aut sua constat  
 Conditio: nunc his animus, nunc ducitur illis.  
 Semper & vltius vani splendoris amore  
 Progreditur, semperq; nouas festinat ad artes.  
 Antè senex persusa videt sua tempora canis,  
 Supremumq; instare diem, quàm lassus eundi  
 Tandem fixa loco vestigia ponat in vno,  
 Quàm secum statuat cuiam sese applicet arti.  
 Ut qui Dædalei conclusus carceris intra  
 Ancipites flexus indeprentosq; viarum,  
 Hoc dubius modò carpit iter, modò nescius illud:  
 Cumq; diu multos errans confecerit orbes

Huc sese referet, primùm discesserat vnde.  
 Tanquam aut Callipides, qui crura pedesq; mouendo  
 Assiduè, nunquam tamen est procedere visus.

Talis homo, plerumq; solet traducere vitam  
 Irrequietus, inops rerum quibus intus abundat:  
 Et posita ante oculos conquirens trans mare longè.  
 Erroris qui fortè modum si fecerit vsquam,  
 Atq; habitare domi volet ambitione relicta:  
 At vicinus ei lites, & bella mouebit:  
 Et neq; longa sinet cum dulcibus otia natis  
 Carpere, sic nostra aut aliena peste grauamur.  
 Inuidiæ flamma est nulla vitabilis arte,  
 Nullis consilijs. Tantùm illud, ne quid & ante,  
 Et post delatos nequid peccemus honores,  
 Poscendum à Superis, & nos pro parte virili  
 Nos toti debemus in hanc incumbere curam:  
 Præcipue nobis animos ne gratia turbet,  
 Alteriusue odium, ne verba minæq; potentum,  
 Neue preces, ne turpis auaro in iudice quæstus.  
 Quæ mala iam multas verterunt funditus vrbes:  
 Et vertent alias, nisi quis Deus exigit istos  
 Vrbe foroq; lupos, & pacem reddit ouili.  
 Sic facile euentus rerum quoscunq; feremus,  
 Si prauis nullius erit mens conscia facti:  
 Si nostro neq; partus erit, neq; perditus vllò  
 Dulcis honos vitio: si rectè gessimus illum.

Quò minus ista mihi dudum promissa, laboro  
 Ut tandem veniant, & quæ tu debita dicis.

Cetera

Cætera nec vereor, tua ne leuis acta retractes:  
 Aut nostri pertæsa vetes me longius ire,  
 Deij.iasûe gradu, quo me paulò antè locasti.  
 Note mihi tua summa fides, prudentia multis  
 Nota mihi rebus, nota est constantia morum.  
 Nemo tuas vnquam verbis fallacibus aures  
 Delator, nemo simulatus cepit amicus.  
 Libertas vrbaña tibi iucundior omni  
 Obsequio: semper facilis venientibus ad te,  
 Et comis, non blanda: grauis, non dura fuisti.  
 Scilicet adiutrix inopum, tu sola bonorum es  
 Perfugium, tua sancta domus: tibi regia circum  
 Mensa frequens hominum laudatis coetibus omnem,  
 Quàm longa est, cœnam vario sermone trahentium.  
 In medio Regina sedes, velut arbitra rectè  
 Dictorum, aut pleni moderatrix vna theatri,  
 Audis sermones, audis mala scripta, poetæ  
 Vel bona quæ recitant: & præmia diuidis æqua  
 Omnibus: aut fratrem nunc maxima bella gerentem  
 Concilias potiora colentibus otia Musis.

Sic bona communi vobis delata parente,  
 Sic ambo tenuistis, vt in te pacis amorem  
 Vulgò omnes, belli studiumq; mirentur in illo:  
 Et dubitent hodiène togæ, plus laudis, an armis:  
 Nobilior lauri folijs, hederane corona.

Me paruum atq; humilem, vix fama & nomine  
 Iudicio surrexere tuo, dignumq; tuarum (notum,  
 Esse habitum cura, longo iam tempore, rerum,

Quanti, virgo, putas, quantum mihi laudis ab illo  
 Accessisse die, quo me Regina vocasti?  
 Nam si principibus placuisse quibuslibet, amplum &  
 Magnificum est: quid ei, Regis quæ filia, Regis  
 Et soror est? quæ tam reliquis & lumine mentis  
 Præstat & ingenij, quàm Luna minoribus astris?  
 Hoc magnum satis vsq; satis, nimiumq; videri  
 Debit: hoc fretus contemnere cætera possum.

MICH. HOSPITALIS IN  
 Andream Tiraquellum.

**Q**ui nondum planè tersus, nondumq; politus  
 Olim imprudentis domini liber aenea  
 claustra

Ruperat, effracto veluti qui carcere fugit  
 Hinnulus, & spacijs decurrere gaudet apertis:  
 Tandem opera magna, studioq; retractus herili  
 Sub clauem tristesq; foros, ibi tempore longo  
 Oppressus latuit: Nunc multò quàm fuit antè  
 Diuitior, plenis & iam maturior annis  
 Redditur in lucem: qui tantum distat ab illo,  
 Quàm grauis & sapiens annis iuuenilibus ætas.  
 Utq; scias planè perfectum, authore libenti  
 Prodit, iudicium, lector, graue cuius apud te est.

Multa quidem monumenta tuæ virtutis habemus  
 Andrea, multis venit tibi gloria rebus:  
 At te non alio tantùm iactaueris vllò,

Iudice me, nullo ingenium tibi se mage tollet:  
 Quàm quo vincla doces animis aptare duorum,  
 Et quibus ille roget verbis, quibus illa sequatur.  
 Quæ sint coniugij stantis, quæ iura soluti:  
 Vno cuncta simul conclusa volumine iusto.  
 Scripserit haud dudum quanuis opus vtile, nostro  
 De conseruandis in nomine rebus auitis:  
 Quæ vel nequitia, vel dura sorte propinqui  
 Mutarunt dominum, atq; alieno iure tenentur.  
 Ipsa tibi foecunda licet natura, nouarum  
 Quotidie rerum species, formasq; ministret,  
 Mox alium iungens, alio defuncta, laborem:  
 Ingenij specimen nequeas tamen edere maius.  
 Sic etenim macra & sterili versatus es in re,  
 Tot dotes istuc, bona tot peregrina tulisti,  
 Vt nihil vberius, meliusue hoc viderit etas  
 Ea dici quod sæpe solet, præstantia posse  
 Ingenia è paruis elephantos reddere muscis.  
 Sic culicem noster, sic Græcus lusit Homerus  
 Prælia ranarum nunquam pugnata duello.  
 Tantò est humanis maior mens ignea rebus,  
 Quæ penetrat cœlos, & tartara tendit ad ima  
 Dilatat, constringit, adauget, diminuit res.

FINIS.

